

Bulla delle Indulgenze in essa Conte-
nute, Concesse dal Papa Benedetto XIV
nel Anno 1751 alla Chiesa di S. Giovanni
Laterano, et a tutte Le altre Chiere, alla
medema Agregate, in quatingue Stato
o sia Regno =

BREVE (12)

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS
ET DOMINI NOSTRI DOMINI

BENEDICTI

DIVINA PROVIDENTIA

PAPÆ XIV.

CONSTITUTIO

Q U A

Confirmatis Indulgentiis Basilicæ Lateranensis,
suspenduntur illæ, quæ Ecclesiis ipsius. Filia-
libus, seu ipsi aggregatis, hætenus
communicatæ fuerunt;

ET INTERIM EISDEM

Aliæ Indulgentiæ & gratiæ spirituales conceduntur,
seu respective communicari permittuntur.



ROMÆ, MDCCLI.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.



SSIDUÆ sollicitudinìs debitum Nobis unà cum Universæ Ecclesiæ regimine impositum agnoscentes, in id potissimum vigilantia Nostræ studia conferimus, ut quæ salubriter a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus constituta sunt, ab omnibus, præsertim in Alma Urbe Nostra, & ab iis, quorum specialis cura Nobis imminet, obser-

ventur & impleantur, prout Ecclesiasticæ disciplinæ integritati, ac personarum, rerumque rationibus convenire in Domino judicamus.

Dudum siquidem, postquam fel. record. Prædecessor Noster Clemens Papa VIII. die VII. Septembris Anno Domini MDCIV., providam ediderat Constitutionem, quæ incipit *Quæcumque a Sede Apostolica*, per quam, ad tollendas pravas quasdam consuetudines, quæ irreperant in usu facultatum a Sede Apostolica concessarum nonnullis Regularium Ordinibus, ac Sæcularium Christianorum Archiconfraternitatibus, & Congregationibus, tam in Urbe prædicta, quàm in aliis Christiani Orbis partibus institutis, erigendi videlicet, instituendi, ac etiam sibi aggregandi Confraternitates, & Congregationes, eisque communicandi Privilegia, Indulgentias, Facultates, aliasque spirituales Gratias, & Indulta sibi respectivè concessa, facultates prædictas moderando, oportunas leges, certamque formam, & modum in hujusmodi erectionibus, institutionibus, seu aggregationibus, & respectivè communicationibus observanda præscripserat, aliaque decreverat & constituerat, quæ in ejusdem Clementis Literis prædictis in forma Brevis expeditis latiùs continentur;

Quum procedentibus Annis, recolendæ quoque memoriæ Prædecessor Noster Paulus Papa V. accepisset, Ba-

silicæ Lateranensis Capitulum, & Canonicos, diversas ubique constitutas Ecclesias, vel Cappellas, seu Altaria, vel Oratoria, eidem Basilicæ submittere, subicere, annectere, incorporare, ac in Basilicæ prædictæ membra recipere solere, eisdemque, non minus, quàm aliis Ecclesiis, Cappellis, Altaribus, seu Oratoriis, & Piiis Locis in solo Lateranensi ædificatis & constructis, varias Indulgentias, Facultates, aliasque spirituales Gratias, Indulta, & Privilegia concedere, dictæ Constitutionis a Clemente VIII. editæ formâ, propterea quod ejusdem Basilicæ jura & privilegia sub illius dispositione minimè comprehensa esse contenderent, non servata;

Hinc idem Paulus Prædecessor, volens hujusmodi Clementis Constitutionem ab eisdem Lateranensis Ecclesiæ Capitulo, & Canonicis, non secus ac ab aliis quibuscunque jus & facultatem communicandi Indulgentias habentibus, illisque utentibus, sine discrimine, ut par erat, observari, peculiaribus editis Literis sub Annulo Piscatoris die XXI. Novembris Anni MDCX., ipsam prædictam Clementis Constitutionem, cum omnibus ejus clausulis & Decretis, ad prædictæ Basilicæ Capitulum, & Canonicos, ad effectum videlicet, ut nullas exindè in posterum Indulgentias, nisi ejusdem Constitutionis formâ servatâ, & Apostolica dumtaxat Auctoritate, communicare possent, expressè extendit; & ab ipsis, perinde ac si eorum expressa mentio in dictis Clementis Literis facta fuisset, perpetuis futuris temporibus, sub pœnis in eisdem Litteris contentis, inviolabiliter observari præcepit; volens nihilominus, ut Indulgentiæ, peccatorum remissiones, gratiæ, & privilegia, per dictum Capitulum, & Canonicos, ad eum diem, vigore Indultorum eis a Sede Apostolica concessorum, hujusmodi Ecclesiis, Cappellis, Altaribus, Oratoriis, & Locis Piiis, concessa & communicata, in suo robore permanerent.

Quum tamen hujusmodi Indultorum frequens quidem in Literis Apostolicis mentio & confirmatio appareret; sed de eorundem vero tenore, ob temporum antiquitatem, & varias a dicta Lateranensi Ecclesiâ, ejusque Capitulo passas vicissitudines, certa scientia minimè haberetur; proindeque plenaria dictarum Clementis VIII., & Pauli V. Litterarum executio prævium altioris indaginis judicium requirere videretur; Hinc factum est, ut & veterum concessionum, sive communicationum hujusmodi renovationes a prædictis Capitulo & Canonicis fieri perrexerint, juxtâ formam

mam ab ipsis antiquitus usitatam; & quum deinceps piarum personarum, sive Universitatum, preces, eisdem pro novis Ecclesiarum, Altarium, aliorumque Locorum Piorum erectionibus, seu submissionibus, & incorporationibus oblatæ fuerunt, simul etiam a Romanis pro tempore Pontificibus licentia impetrari consueverit, ut Indulgentiarum communicatio ab ipsis, pro ea vice, non obstantibus Clementis & Pauli Prædecessorum præfatorum Constitutionibus hujusmodi, juxta eandem veterem formam concedi posset.

Sed quum in hujusmodi communicationis forma, & in subscripto Indulgentiarum Summario, præter alia præfata Clementis VIII. Constitutioni parum consentanea, illud etiam animadversum fuerit, quod scilicet complures Indulgentiæ speciales, quæ ex juxta Romanorum Pontificum erga præfata Lateranensem Basilicam liberalitate, ob ejus præcellentem in Universo Catholico Orbe Dignitatem, ipsi Basilicæ concessæ fuerunt, ad omnes extenderentur Ecclesias, Cappellas, Altaria, Oratoria, & Loca Pia eidem quoquo modo subjecta & incorporata, contra præsumptam ipsorum Concedentium mentem, & contra probatam Apostolicæ Sedis in Indulgentiarum dispensatione disciplinam; adeo ut nonnulli etiam Episcopi, pro commissa sibi a Concilio Tridentino adversus irregulares Indulgentiarum promulgationes inspectione & vigilantia, officii sui debitum reputaverint earum publicationi se opponere; indeque plures ortæ fuerint lites & controversiæ, quæ Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Indulgentiis & Sacris Reliquiis præpositæ zelum excitarunt, ut, oportuna tandem ratione, & Apostolica Auctoritate, hujusmodi deordinationibus remedium afferri debere judicaret:

Nos, omnibus visis, atque perpensis, quæ coram dicta Cardinalium Congregatione, præfatis Capitulo, & Canonicis, pluries auditis, agitata fuerunt, quum nondum in clara luce positum conspexerimus, an, & quæ facultas eisdem Capitulo, & Canonicis, circa Indulgentiarum hujusmodi communicationem, & extensionem, ad Ecclesias, & alia Loca Pia, quæ inter Basilicæ prædictæ membra connumerantur, a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus concessæ fuerit; Ad memoratas lites, & controversias interea sedandas, aliasque oportune præcavendas; utque dictorum Capituli, & Canonicorum, nec non Rectorum, Administratorum, ac Officialium dictarum Ecclesiarum, aliorumque Piorum Locorum hujusmodi, & respectivè Or-

4
dinariorum Locorum, & quorumcumque Christifidelium, quieti & securitati, ac spiritualibus profectibus paternè consulamus; Motu proprio, & certa scientia, infrascriptas leges, & Ordinationes circa præmissa, præsentium Literarum tenore, & Apostolica Auctoritate duximus statuendas.

In primis videlicet, omnes & singulas Indulgentias, & peccatorum, seu poenarum remissiones, & relaxationes, aliasque gratias spirituales tam pro vivis, quàm pro defunctis, dictæ Basilicæ Lateranensi a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus concessas, quæ jamdudum, ipsi Romanis Pontificibus scientibus & consentientibus, publicè in eadem Basilica proponi consueverunt, etiamsi de illarum primæva concessione certa monumenta nunc non appareant, prædictis Motu, scientia, tenore, & auctoritate, approbamus, & confirmamus, eidemque Basilicæ, perinde ac si per præsentem ex integro ipsi concederentur, sine ulla contradictione competere declaramus atque decernimus.

Quò verò ad eas Indulgentias, & remissiones, seu relaxationes hujusmodi, quæ a prædictis Capitulo & Canonicis hætenus quibuslibet Ecclesiis, Altaribus, Cappellis, Oratoriis, Confraternitatibus, aut Locis Pii ejusdem Basilicæ membris, eidemque subjectis, & incorporatis, ubicumque existentibus, quorumlibet Indulgentiarum, privilegiorum, aut facultatum vigore, sive generaliter, & ad instar, sive specialiter, & nominatim communicata fuerunt, sive etiam ex directâ Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum concessione ad illas, & illa extensa dici possent, quæcumque illæ sint, Nos eas omnes & singulas simili Motu, auctoritate, & tenore interim suspendimus, & tandiù effectu carere volumus & decernimus, donec, prolatis authenticis Indulgentiarum, Privilegiorum, & Facultatum hujusmodi monumentis, de certa prædictorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum voluntate & concessione, quoad communicationes & extensiones hujusmodi, Nobis, vel Successoribus Nostris, seu dictæ Congregationi constiterit.

Interea tamen, easdem Ecclesias, Altaria, Cappellas, Oratoria, Confraternitates, & Loca Pia dictæ Basilicæ membra, hætenus erecta, seu eidem subiecta, & incorporata, ubicumque existentia, Nos infrascriptarum Indulgentiarum, & gratiarum spiritualium, quæ usque ad statutum suspensionis prædictæ terminum valiturae sint, muneribus ditare decrevimus.

5

Omnibus nimirum utriusque sexus Christianis fidelibus, qui illas & illa in Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, S. Joannis Evangelistæ, & Dedicacionis ejusdem Lateranensis Basilicæ diebus Festis, verè pœnitentes & confessi, ac sacrâ Communione refecti, a primis Vesperis usque ad occasum Solis dierum hujusmodi, devotè visitaverint, ibique pro Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, hæresum extirpatione, & Christianorum Principum concordia, piâs ad Deum preces effuderint, quolibet ex diebus prædictis, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus & impertimur.

Iis verò, qui in reliquis Sanctorum Apostolorum Festis, nimirum Andreæ, Jacobi, Thomæ, Philippi & Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, ac Matthiæ, verè pœnitentes & confessi præmissa peregerint, septem Annos, & totidem Quadragenas:

Qui autem illas & illa a Dominica Prima Adventus, usque ad Festum Nativitatis ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, & a Feria IV. Cinerum, usque ad Festum Resurrectionis Dominicæ, verè pœnitentes, & cum proposito saltem confitendi, visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, singulis diebus quibus id egerint, quatuor Annos, & totidem Quadragenas; in reliquis autem singulis Anni diebus, centum dies de injunctis eis, seu aliâs debitis pœnitentiis, in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Denique ut ii, qui in Diebus Stationum ejusdem Ecclesiæ Lateranensis in Missali Romano descriptis, videlicet Dominica Prima Quadragesimæ, Dominica Palmarum, Feria Quinta in Coena Domini, Sabbatho Sancto, Sabbatho in Albis, Feria Tertia Rogationum, & Sabbatho in Vigilia Pentecostes, aliquam ex dictis Ecclesiis, aliisque superius expressis, cum dicto pœnitentiæ affectu, & Confessionis proposito, visitaverint, ibique, ut præfertur, oraverint, Indulgentias stationales, quas visitantes dictam Ecclesiam Lateranensem iisdem Diebus consequuntur, ipsi quoque, perinde ac si eandem Ecclesiam personaliter visitarent, consequi possint & valeant, similiter concedimus, & indulgemus.

Quocirca Dilectis Filiis Capitulo & Canonicis prædictæ Ecclesiæ Nostræ Lateranensis per præsentem injungimus, & mandamus, ut omnes & singulos dictarum Ecclesiarum, Altarium, Cappellarum, Oratoriorum, Confrater-

6
ternitatum, & Locorum Piorum ubique existentium respective Rectores, sive Administratores, aut Officiales, sive Ministros, de suspensione hujusmodi, simulque de præmissarum Indulgentiarum, & Gratiarum, interea ut præfertur duratura concessione, per Nos factis, quamprimum instructos reddant per eorum Literas missivas, cum adjunctis præsentium Nostrarum Literarum Transumptis, seu Exemplis; quibus, etiamsi Typis descripta fuerint, eorundem sigilli impressione, ac Secretarii subscriptione munitis, eandem omnino fidem, quæ ipsis præsentibus haberetur, ubique habendam fore decernimus; ad hoc ut ipsi Rectores, Administratores, Officiales, atque Ministri dictas Indulgentias, & gratias spirituales, servatis omnibus ex Concilii Tridentini, & ex prædicti Clementis VIII., aliorumque Romanorum Pontificum præscripto, in Indulgentiarum promulgatione, atque etiam in Elemosynarum perceptione, earumque erogatione servandis; promulgare, & proponere valeant.

Iisdemque Capitulo & Canonicis mandamus pariter & injungimus, ut renovationum Literas, quas deinde favore hujusmodi Ecclesiarum, Altarium, aliorumque præmissorum, durante suspensione hujusmodi, expedient, ita reforment, ac moderentur, ut Indulgentias dumtaxat superius a Nobis concessas, & quidem expressè ac nominatim, facultate sibi per præsentem a Nobis impertita, nec ullas alias quomodocumque, eâdem suspensione durante, illis communicent.

In novis autem aliarum Ecclesiarum, Cappellarum, Altarium, Oratoriorum, Confraternitatum, aliorumque Piorum Locorum erectionibus, incorporationibus, & receptionibus, quas in posterum ab ipsis Capitulo & Canonicis fieri contingat, volumus atque præcipimus, ut, juxta memoratam superius Pauli V. declarationem, præter alia in hujusmodi actibus observanda, providas quoque Leges circa Indulgentiarum communicationes a præfato Clemente VIII. Prædecessore in dicta ipsius Constitutione, quæ incipit *Quæcumque*, latas atque sancitas, juxta sequentem modum omnino observent; Ut scilicet in singulis Civitatibus, Oppidis, vel Locis, unam dumtaxat ex hujusmodi Ecclesiis, seu Cappellis, Altaribus, Oratoriis, Confraternitatibus, aut Locis Piis quomodocumque nuncupatis, dictarum Indulgentiarum communicationis munere ditare possint; dummodo Ecclesia, aut Oratorium ipsis subiectum, seu illa Ecclesia, in qua Cappella, vel Altare prædictum

dictum extiterit, Regularium, aut Monialium non sit, nec Ecclesia, Cappella, Altare, Oratorium, Pius Locus, aut Confraternitas hujusmodi, ulli alteri Ecclesie, aut ulli Ordini, Religioni, Instituto, Archiconfraternitati, & Congregationi, a qua Indulgentiarum communicationem, seu participationem obtineat, aggregata sit, aut subjecta; & dummodo ejusdem Ecclesie, Cappellae, Altaris, seu Oratorii celebritas, vel Confraternitatis, aut Loci Pii institutum, & Christianae pietatis, & Charitatis officia, quae exercere consuevit, Ordinarii Loci Testimonialibus Literis apud eos commendentur. Facultatem tamen indulgendi, prout alias in certis casibus ab Apostolica Sede benignè indulgeri consuevit, ut in una, eademque Civitate, aut Oppido, duabus Ecclesiis, seu Cappellis, vel Altaribus, Oratoriis, Confraternitatibus, aut Locis Piis, ubi speciales id circumstantiae suadeant, hujusmodi Indulgentiarum communicatio a dictis Capitulo & Canonicis concedi possit, praedictae Cardinalium Congregationi per praesentes tribuimus, & impertimur.

Porro hujusmodi Ecclesiis, Cappellis, Altaribus, Oratoriis, Confraternitatibus, & Locis Piis, supra expressae Indulgentiae, & gratiae spirituales tantum, & non aliae, suspensione hujusmodi durante, a dictis Capitulo & Canonicis, & quidem nominatim, facultate sibi per praesentes a Nobis impertita, aliisque servatis, quae in dicta Clementis Praedecessoris Constitutione, praesertim, circa gratuitam Literarum expeditionem, atque in Decretis a dicta Congregatione die vi. Martii Anni MDCVIII., & die x. Aprilis Anni MDCXX. editis, statuta sunt, communicari valeant. Ab illarum verò, eorumque Rectoribus, Administratoribus, Officialibus, & Ministris, in earundem Indulgentiarum publicatione, nec non elemosynarum receptione, & erogatione, aliae similiter Leges, in Tridentini Concilii Decretis, & in supradictis Clementis VIII. Literis, aliisque Romanorum Pontificum, & Apostolicae Sedis Constitutionibus atque Decretis praescriptae, sub poenis ibidem adversus transgressores respective statutis, inviolabiliter serventur, & impleantur.

Praesentes autem Literae, atque omnia & singula in ipsis contenta, atque statuta, etiam ex eo, quod Capitulum & Canonici praedicti, alique in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, eisdem non consenserint, nec ad ea vocati, aut super singulis praemissis forsan auditi fuerint, aliave qualibet de Causa, nullatenus im-

pugnari, seu de voluntatis Nostræ, aliove quovis defectu redargui possint; sed a prædictis omnibus, & aliis quibuscumque, ad quos pertinet, seu pro tempore pertinebit in posterum, in omnibus & per omnia observentur, & respectivè iis, quorum favorem concernunt, seu concernent in futurum, plenissimè suffragentur. Sicque & non aliter, per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Palatii Apostolici Auditores, & Apostolicæ Sedis Nuntios, seu Nostros, ejusdemque Sedis, etiam de Latere Legatos, aliosque S. R. E. Cardinales, eorumque Congregationes, in præmissis judicari debeat, & interpretari. Nos enim his omnibus & singulis aliter judicandi & interpretandi facultatem interdiciamus & abrogamus per præsentés, atque etiam irritum & inane decernimus, si quid secus circa præmissa per quoscumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter fieri, vel attentari, aut respectivè judicari & interpretari contigerit.

Non obstantibus præmissis Clementis VIII., & Pauli V. quatenus præsentés iisdem per omnia conformes non inveniuntur, nec non fel. rec. Sixti Papæ V., quarum initium est *Si cunctas*, atque etiam de jure quæsito non tollendo, de Indulgentiis non concedendis ad instar, aliisque Apostolicis Constitutionibus & Ordinationibus, dictæque Congregationis die xi. Junii Anni MDCLXXIX., ac xxvii. Maji MDCCXXXII., & xxiii. Februarii MDCCXXXIV. editis Decretis & resolutionibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis dictæ Basilicæ, illiusque Archipresbytero, Capitulo, & Canonicis forsitan concessis, atque etiam pluries confirmatis & innovatis: Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur & inferrentur, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis & insertis, & formas pro observatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, & ad præmissorum effectum, harum serie specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Nostrarum declarationis, suspensionis, concessionis, imperitionis, relaxationis, indulti, mandati, statuti, decreti, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temera-

rio contraire . Si quis autem attentare præsumpserit ,
indignationem Omnipotentis Dei , ac Beatorum Petri , &
Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum .

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnati-
onis Dominicæ MDCCLI. , pridie Nonas Maji , Pon-
tificatus Nostri Anuo Undecimo .

D. Card. Passioneus.

J. Datarius .

VISA
De Curia J. C. Boschi .

Loco ✠ Plumbi .

J. B. Eugenius .

Registrata in Secretaria Brevium .

Anno a Nativitate Domini Nostri JESU CHRISTI Millesimo
septingentesimo quinquagesimo primo Indictione quattadecima ,
die verò 2. mensis Junii , Pontificatus autem Sanctissimi in
Christo Patris , & Domini Nostri Domini BENEDICTI
Divina Providentia PAPE XIV. Anno Undecimo ,
supradicta Constitutio affixa , & publicata fuit ad valvas Ba-
silica Lateranensis , & Principis Apostolorum , & Cancellaria
Apostolica , Curiaque Generalis in Monte Citatorio , &
in Acie Campi Floræ , ac in aliis locis solitis , & consuetis
Orbis per me Franciscum Bartolotti Apost. Curs.

Antonius Befani Mag. Curs.